MEMORIAM
VIRI
NOBILISSIMI AMPLISSIMI
EXPERIENTISSIMI
JOHANNIS FRIDERICI
LOBSTEINII
MEDICINÆ DOCTORIS
ET PROFESSORIS PUBLICI
CELEBERRIMI
CAPIT. THOM. CANONICI DIGNISSIMI
ARGENTORATI DIE XI OCTOBRIS MDCCLXXXIV
PIE DEFUNCTI
UNIVERSITAS ARGENTORATENSIS
CIVIBUS ET EXTERIS
COMMENDAT.



ARGENTORATI,
Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.
1784.

RECTOR
UNIVERSITATIS ARGENTORATENSIS
JACOBUS LUDOVICUS SCHURERUS
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR PHYSICES PROFESSOR PUBLICUS, CAPITULI THOMANI CANONICUS

LECTORIBUS S.

Rerum naturalium & humanæ œconomiæ ſtudia eam habent ſortis ſuæ communitatem, ut alterius diſciplinæ incrementa alteram quoque diſciplinam promoveant. Quæ enim circa materiam caloris, cum ſolidis fluidisque corporibus combinatam, quæ de lumine, rerum texturas & colores alterante, quæ de potentia phlogiſti in foſſilia, plantas, animalia cognovimus, illa & ad ſanitatis morborumque notitiam haud dubie multum contribuunt. Bonos inſuper & ſiniſtros effectus, quos ab aëris mephitidumque actione expectamus & pertimeſcimus, ad origines contagiorum explorandas conducere; & quæ circa menſuram ſalubritatis & malignitatis aëreæ, deque artibus, vitiatum aërem reſtituentibus, recentia Phyſicorum tentamina confirmarunt, medicis quoque uſibus inſervire, omnes harum rerum vel mediocriter gnari facile intelligunt. Utut autem firmus ſit Phyſices hic cum Medicina nexus, utrique ſcientiæ apprime utilis, longe tamen arctius eſt quod Chirurgiam inter atque Medicinam neceſſitudinis vinculum intercedit. Utrius-

que enim disciplinæ idem plane finis est atque materia, mali nempe corporis habitus, variorum symptomatum tumultus morborumque medela. Modi quidem curandi inter se differunt; at valde cognati tamen mutuisque auxiliorum commerciis sibi invicem conjuncti. Unde pronum utique & in aperto est, neque Medicum Chirurgiæ, neque Chirurgum Medicinæ præsidiis posse supersedere. Hi sane mortalium rebus optime videntur prospicere, qui utramque hanc artem, vere individuam, non sola institutione, sed ipso usu & exercitatione juvenes docent. Arctissimum hoc Medicinæ & Chirurgiæ consortium nemo sane penitius cognovit, nemo religiosius per omnem vitam coluit, nemo anxius discipulis commendavit, quam qui ante sex hos menses præmatura morte nobis & literato orbi ereptus est, quem diutissime lugebimus, B. LOBSTEINIUS. Quodsi publica vitæ, a B. Viro gloriose transactæ, monumenta serius a nobis exacta videantur, negotiorum curis, quibus impliciti fuimus, optimique Collegæ meritis, non facile breviori compendio exprimendis, mora hæc imputetur officii, eo sanctioris nobis & antiquioris, quod non postremis gloriæ desideratissimi viri testibus nos accensemus. Etenim familiariter cum eo vixisse nos, eosdem præceptores, eadem studia coluisse, plurimaque ex omnigenæ eruditionis ejus fontibus in nostros quoque usus dimanasse, grato animo profitemur.

Natus est Vir celeberrimus A. C. MDCCXXXVI penultima Maji, in Lamperthemio vico, duabus fere ab hac urbe leucis distante. Patrem habuit B. ANTON. LOBSTEINIUM Chirurgum, Matrem MARIAM URSULAM ECKELIAM Argentoratensem. Felici educatione præparatus, Gymnasium nostrum adiit; ex quo post septennium cum laude evocatus A. MDCCLII studiosorum albo nomen inscripsit. A prima ille ætate incredibili Chirurgiæ studio flagravit, ita ut puer jam vacuum laboris tempus secandis animalibus tribueret. Verum, pro excelsa animi indole, ad summa quæque quum eniti cuperet, omnia illa sectanda sibi esse credi-

dit ſtudia, quæ conſummatum Chirurgum abſolverent. Prægu- ſtatis itaque literis humanioribus & linguarum eruditarum viva- rumque notitia ſibi comparata, Philoſophiæ, Matheſi & Phyſi- cæ operam navavit: quibus inſtructus ſubſidiis, vaſtum quoque Medicinæ campum decurrere ſtatuit. Quare inclytos ſcholæ no- ſtræ medicæ Doctores BOECLEROS, SPIELMANNOS, EISENMAN- NOS, SACHSIOS, Phyſiologiam, Chymiam, Botanicen, Mate- riam medicam, Pathologiam Clinicenque tradentes, ſedulo audi- vit. At Chirurgiæ principia ex facundo PHIL. HENR. BOECLERI ore avidus hauſit & Anatomiæ inprimis excolendæ perpoliendæ- que tam publice quam privatim totus incubuit. Unde & in præparandis muſculis atque viſceribus viisque vaſorum & ner- vorum inveſtigandis diligentia atque dexteritate brevi omnes fa- cile æquales ſuos ſuperavit. Neque vero theatrum noſtrum ana- tomicum diſcendi ardorem ejus reſtinguere potuit; ſed & in no- ſocomio regio clariſſimi LE RICHE, patris, inſtitutione uſus, difficillimas quasque operationes ſæpe multumque molitus eſt. Præſtantiſſimi hujus viri humanitati, qua liberam illi cadaverum copiam conceſſit, plurimum ſe debuiſſe, nunquam non grato prædicavit animo. Itaque reconditas quasque humanæ machinæ partes abditiſſimosque canales continue rimatus, infinitas natu- ræ variationes & ipſa quaſi ejus penetralia ſibi aperuit ſuoque te- ſtimonio docuit, non ſola manuum agilitate Chirurgi munus abſolvi, ſed ſolida ſtructuræ corporis cognitione opus illi eſſe, ut diverſos operandi modos ægrotorum diſpoſitionibus, malo- rum formis atque naturæ luſibus & quaſi erroribus accommoda- re poſſit. Diſcant ſane de viro hoc egregio quicunque Chirurgiæ adyta ingredi cupiunt, quibus auxiliis, quo doctrinæ apparatu pollere debeant ſinceri nobiliſſimæ artis candidati. His ille pro- be imbutus, ſtadiumque academicum jam emenſus, ſequi exer- citus, caſtrenſes morbos ſcrutari, Chirurgiam practicam ample- cti decreverat. Tandem, nonniſi repetitis præceptorum ſuorum admonitionibus victus, ad ſuſcipiendum Doctoris medici gradum

adpulit animum, ita tamen ut Chirurgiam non postponeret Medicinæ, sed utramque scientiam amabili consortio jungeret; quo ipso liberalius præceptorum suorum votis satisfecisse censendus est. Examinibus itaque medicis cum laude superatis, A. MDCCLX die XIV Aug. ab ILL. SPIELMANNO Medicinæ Doctor creatus est, postquam die XXVI Jul. ejusdem anni dissertationem, quam vocant inauguralem, *de nervo spinali ad par vagum accessorio* omnium ordinum applausu defenderat. Egregio hoc specimine difficilis hujus nervi historiam, verum ortum atque progressum, ejusdemque cum pari vago societatem & per carnes colli & cervicis distributionem, clare & distincte exposuit. Tum vero iter literarium aggressus, Francofurti ad Mœnum xenodochia, militi Gallico parata, frequentavit visisque thermis Wisbadensibus, Swalbacensibus, Schlangenbadensibus & Moguntia perlustrata, ad illustria Belgii fœderati Lycea perrexit. Ultrajecti ab ILL. OSTERDYK - SCHACHTIO, HAHNIO, WESSELINGIO, SACHSIO, RAVIO benigne exceptus, Lugdunum Batavorum petiit, ubi per integrum fere annum ALBINORUM fratrum, GAUBII, ROYENII, MUSCHENBROEKII, ALLAMANDI, HEMSTERHUYSII, SCHULTENSII institutione doctisque sermonibus plurimum profecit; insignes horti botanici divitias, lectissimumque rerum naturalium apparatum atque ingeniosam Muschenbrœckii physicam suppellectilem in suos quoque usus convertens. Inprimis tamen eximios Albinianorum præparatorum thesauros, ipsam quasi naturæ viventis exprimentes imaginem, summa voluptate perscrutatus est, ad similia tentanda jam tum animum adjiciens. Neque fugit illustrem Albinum juvenis, ad anatomiam nati, præclara indoles; qui adeo eum in deliciis habuit, ut & ad demonstrationes anatomicas, selectioribus discipulis instituendas, sponte eum excitaret. Amstelodamensium quoque xenodochia, theatrum anatomicum hortosque publicos semel iterumque invisit; BURMANNUM botanices, CAMPERUM anatomiæ peritia claros sibi devinxit. Hagæ comitum Principis Arausionensis longe splendidissimum rerum naturalium apparatum non sine admiratione vidit. Ægre demum a Musis Ba-

tavis abreptus A. MDCCLXI Lutetiam Parisiorum se contulit, novas ibi discendi opportunitates circumspecturus. Itaque lectiones obstetricias LEVRETI, anatomicas FERRENII, physicas NOLLETI, botanicas MONIERI diligenter audivit. Xenodochiorum frequentator assiduus, medendi operandique methodos solicite investigavit; celebris inprimis MOREAU, calculos feliciter eximentis, dexteritatem non semel miratus. Humanissimo JUSSIEU, ad officia quævis promto, in deambulationibus botanicis comitem frequenter se præbuit. Illud autem inter præcipuos itineris literarii fructus merito computavit, quod illustris MORANDUS, Chirurgorum sui temporis facile princeps, tam insigni eum cultu atque honore dignatus est, ut aditum in privatum consessum utriusque Academiæ, & Scientiarum, quam ipse tum regebat, & Chirurgiæ patefaceret; cujus singularis beneficii recordatio nunquam non grata & jucunda illi fuit. Aliorum etiam illustrium Chirurgorum, FAGETI, BOERDENAVII, SABATIERII, LOUISII amicitia condecoratus, multa in Medicinæ & Chirurgiæ commodum ex eorum commercio percepit. Redux A. MDCCLXII, mense Februario, in patriam, ad pristinos mores & studia rediit atque annuente iterum amicissimo LE RICHE, creberrimas in nosocomio regio cadaverum dissectiones instituit. Ut autem præclari ingenii, usu & arte exercitati, dotes in utilitatem quoque cederent studiosæ juventutis, ab inclyto Ordine medico amplissimam tunc docendi veniam impetravit. Lectiones ejus Physiologicæ, Chirurgicæ, Pathologicæ, ab auditoribus avide exceptæ, juvenis doctoris famam mox per vicinas regiones celebrarunt. Ne itaque scholarum exterarum invitationibus aures præberet, intercedente Ordine medico, Senatus patrius A. MDCCLXIV Prodemonstratoris anatomici munus, cum annuo stipendio, illi obtulit; quo per quadriennium præclare functus, A. MDCCLXVIII die VIII Jun. Professor medicinæ extraordinarius designatus est, simulque spes ipsi facta Cathedræ Anatomico-Chirurgicæ; quam quidem eodem anno die III Nov. post ven. EISENMANNI obitum, felici-

bus auſpiciis adiit a). Primas ille tum in theatro anatomico partes agens, nomine, ingenio, doctrina tantum inclaruit, ut, quæ jam loci opportunitate & cadaverum frequentia aliis antecellit, ſcholæ patriæ novum a Doctoris ſui celebrati diſciplina ornamentum accederet. Teſtes heic compello, quotquot eum audiverunt vitæ mortisque ſigna in ipſo lectionum limine pandentem, quam diſtincte artuum & muſculorum omnium ſitus nexusque explicuerit, quam dilucide vaſorum nervorumque difficultates evolverit, quam artificioſe viſcerum & cerebri inprimis atque organorum ſenſuum ſtructuras demonſtraverit. Neque ſolertius quis unquam operationes chirurgicas adornavit, rationes operandi discrevit, modos & tempora diſtinxit. At quod inprimis ſalutare, quodque dudum in votis fuerat, id ille primus exſequi inſtituit, ut non Chirurgiæ modo principia diſcipulis traderet, ſed crebra operationum, ab eis tentatarum, repetitione chirurgos quaſi effingeret. Hoc autem cum ſummis utriusque artis principibus conſtanter aſſeruit, Chirurgiam cum Medicina indiſſolubili vinculo junctam, neque curationem morborum internorum feliciter ceſſuram eſſe Medico, qui penitiori Chirurgiæ cognitione deſtitutus ſit. Quibus ille ſtudiis effecit, ut, invaleſcente indies Medicinæ & Chirurgiæ cultorum, hanc Academiam frequentantium, multitudine, fiſci anatomici proventus in tantum accreſcerent, ut ex eorum reſiduis, ultra ſex librarum Turonenſium millia, in Bibliothecæ publicæ, medicæ inprimis, augmentum, paucorum annorum ſpatio, impenderentur. Neque vero ſolius Univerſitatis commodis intentus, privatim quoque operationes chirurgicas, easque difficillimas, ſumma plerumque felicitate, vivis adminiſtravit. Suffuſione laborantibus quam plurimis, extirpata lente, lucis uſum reſtituit; calculi doloribus vexatos exemit cruciatibus atque ad optatam ſalutem reduxit. Vulgata tum, ex omni parte, viri præſtantiſſimi fama principes paſſim atque magnates, &

a) Vid. Programma ad orationem ejus inauguralem, ab Ill. SPIELMANNO conſcriptum die XXIV. OCT. MDCCLXVIII.

quotquot chronicis aliisque gravioribus morbis laborabant, induxit, ut magno ad eum numero confluerent, afflictæ valetudini opem quærentes. Ita per quindecim & quod excurrit annos summa cura lætissimoque successu rei nostræ anatomicæ atque chirurgicæ præfuit, & utramque simul medendi artem continuo usu tractavit. Verum ille, dum aliorum saluti indefesso labore prospiceret, suam ipse valetudinem sensim sensimque labefactari intellexit. Itaque, deficientibus jamjam viribus & ingravescente, quod eum invaserat, malo, A. MDCCLXXXIII Professionem anatomicam cum Pathologica, utut ægerrime, commutavit. Noluit tamen cathedram, quam tot annis egregie ornaverat, protinus orbam relinquere, sed Procerum Academiæ votis & genio suo obsecundans, quantum per valetudinis rationes licebat, theatro anatomico porro præesse & docentium æque ac discentium conatus promovere studuit, donec perdita magis magisque valetudine, labores tandem omnes defugere & salutaris artis præsidia in se solum convertere cogeretur. Non inter postremas autem ejus pro bono publico molitiones commemorandæ nobis heic sunt, quas nova methodo adornare aggressus est, *Anatomiæ institutiones*, quibus ille subsecivum omne tempus tribuens, ipsam quasi naturam exscribere dissectasque & præparatas, quas oculis subjecerat, humanæ machinæ partes calamo exprimere solebat, quemadmodum schedæ innumeræ, quæ inter alia scripta ejus fratres hæredes servant, aperte testantur. Institutiones has, ut & *Commentarios physiologicos*, qui ultimam quoque limam desiderant, publica luce donasset, si vita longior & valetudo magis prospera ipsi contigisset. Non desunt tamen felicis ingenii foetus, *Programmata publica* a)

---

a) Ex raris horum Programmatum observationibus paucas tantum hic obiter annotare liceat. A. 1771. *aquam labyrinthi auris*, a se repertam, ejusque vias & usus indicavit. A. 1775. *ileon lethalem* ex concretione præternaturali recti intestini cum utero descripsit. A. 1779. *suffusionis secundariæ rarioris*, a se observatæ, curandi modum docuit. A. 1783. optimam pericula *bubonoceles* evitandi methodum indigitavit. - -

& *Differtationes Anatomico - Chirurgicæ* b), fub præfidio ejus & moderamine defenfæ, quæ, uti materiarum gravitate, ita eruditionis & obfervationum fagaciffimarum apparatu fefe plurimum commendant. Vivet igitur vigebitque penes nos immortalis viri memoria, qui omnem laborem fuum, omnem operam ftudiumque, in commodis juventutis, in incremento Academiæ, in falute ægrotorum confumfit, cujus magnitudinem meritorum lectiffima teftatur Medicorum Chirurgorumque corona, qui, in fragilitatis humanæ folatium, e celebri ejus fchola prodierunt. Teftantur eadem doctrinæ, minime vulgaris, fructus, Bibliothecæ patriæ amplificatio, Principum, Magnatum, Procerum, Doctorum, Civium confenfus, &, quod filentio præterire piaculum effet, Mufarum paffim exterarum Gœttingenfium, Berolinenfium, Caffellanarum,Dresdenfium eum alliciendi ad fefe conatus. Verum enimvero, quod læti gratique recordamur, nullis ille unquam vel graviffimis folicitationibus expugnari potuit, ut a cara ipfi patria, quam virtutum fuarum fplendore illuftraverat, divelli fe fineret. Canonicatum D. Thomæ A. MDCCLXXIV fingulari Regis noftri Auguftiffimi beneficio, jure quod vocant primarum precum, confecutus eft. Officia quæque publica, quæ, dum rebus Academiæ intereffet, ipfi demandata fuerunt, fumma fide atque prudentia adminiftravit. Rectoratum bis, Decanatum medicum duodecies, Infpectoris Collegii Wilhelmitani & Marciani munus femel, Promotoris ad hon ores medicos quater geffit. Morbum quod attinet, cujus pertinacia demum victus eft, jam ante quindecim fere annos ejus veftigia fenferat. Obefiori quippe corporis habitu affectus vitamque fedentariam, quantumvis laboriofam, agens,

---

b) *De Hernia congenita.* A. MDCCLXXI.
De Valvula Euftachii. A. MDCCLXXI.
De Nervis duræ matris. A. MDCCLXXII.
De Calculis veficæ urinariæ cyfticis. A. MDCCLXXIV.
De Liene. A. MDCCLXXIV.
De Structura nervorum. A. MDCCLXXXII.

infensissimum in hypochondriis hostem expertus est hepatis infarctum, qui stomachum & viscera, digestioni & chylopoësi dicata, paulatim afflixit. Pervicacissimus hic morbus omnem remediorum vim adeo sprevit, ut ipse, felix alias morborum chronicorum domitor, facilius ossium quam hepatis duritiem solvi, non semel profiteretur. Etenim lento gradu ad venæ portarum systema fistularumque hepaticarum angustias medicamenta perveniunt, atque eundo & redeundo virtutem fere omnem & efficaciam amittunt. Accessit identidem virulenta putridorum halituum mephitis, a cadaveribus, quæ frequenter tractabat, spirata, qua bilis, ad putredinem pronissima, corrupta fuit. Ita repressa quidem aliquoties morbi vis, majori, per intervalla, mole increbuit. Forsan & negligentius suam ipse curabat valetudinem, qui in restituenda aliorum tenacissimus erat. Nemo sane intentius illo morborum signa & symptomata ponderare atque discutere, nemo violentiam morborum ardentius feliciusque reprimere solebat. At, in suis ipse rebus remissior, ab auscultatione ægritudinum suarum facile animum avertebat. Postremo exoratus ab amicis, crebris aëris, vitæ locorumque mutationibus morbi ingravescentis vim & incrementa cohibere studuit. Itaque jam A. MDCCLXXIX, Consultissimo Kochio comite, cum quo vetus illi necessitudo intercedebat, in inferiorem Germaniam iter suscepit, invisoque Butzbachii Hassorum dilectissimo fratre, Cassellas inde atque Gœttingam contendit. Hic cum Wrisbergio &, quod inprimis volupe erat, cum Campero, claris anatomicis, amicos sermones contulit & celeberrimos quosque illustris hujus Lycei viros salutavit. A. MDCCLXXXII. amicissimo Kochio iterum comitatus, leniendæ ægritudini, fontem Tungrensium adiit, ubi a Limburgio atque Sandbergio, inclytis illarum regionum medicis, omnibus humanitatis officiis exceptus, cum illustri inprimis van Swinden aliisque viris Batavis quotidianam consuetudinem aluit. Ex aquis Leodium, Leodio Bruxellas cum fido achate suo discessit. Hic præcipua Academiæ membra, officiosissimi Gerardi auspiciis, convenit, &, favente Rombergio, in ce-

lebris LINGUETI notitiam pervenit. Lutetiam tandem Parisiorum delatus, principes in utraque Medicina viros, LASSONIUM, VICQ d'AZYRIUM, PETITUM, LOUISIUM, SABATIERIUM, denuo invisit eorumque sermonibus doctisque colloquiis plurimum delectatus est. His ille artibus occultum hostem fallere quidem, at minime debellare potuit. Neque enim repetita annis sequentibus ad Tungrensem æque ac Tainacensem fontem itinera feliciorem successum habuerunt. Redeunte igitur hyeme anni MDCCLXXXIII pristina quoque mala nova vi ingruerunt; tumor iterum pedes, asthma & spasmodica tussis præcordia atque pulmones occupavit. Vocatis tum in consilium medicis prudentibus, remedia quæque efficacissima, quæ ipse sæpius adversus asthma & hydropem lætissimo eventu præceperat, administrata fuerunt. At, mitigatis licet symptomatibus diminutoque tumore morbosa identidem aqua herbarum viribus cederet, & asthma quoque tussisque repressa feliciorem exitum augurare viderentur, mox tamen exasperata denuo mala spes nostras omnes pessumdederunt. Paucis ante obitum mensibus syncope omniumque virium vitalium desidia correptus, se quasi dimidiatum inter cogitantem, sui bene conscium, fidentemque in Dei clementiam animum, & prostratum corpus sensit. Ita consumtis tandem omnibus vitæ igniculis, inter tristissimos matris, fratrum, familiæ gemitus atque ploratus A. MDCCLXXXIV die XI Octobris Deo spiritum reddidit, cum vixisset annis XLVIII, mensibus quatuor, diebus undecim. Nullis ille unquam vitæ delicatioris illecebris captus, non sibi vixit, sed patriæ, sed ægrotis discipulisque & paucis, quos in solamen curarum sibi delegerat, amicis. Simplicitatis amans, elegantiarum osor, parsimoniam coluit; at mitis & beneficus in pauperes, quos tam arte sua & consiliis, quam collato ære frequenter sustinuit. Gloriæ non fucatæ sectator, inanes titulos sprevit: Academicos honores, quos obire, per negotia, non licebat, adeo non ambivit, ut sponte delatos recusaret. Salutaris artis commodis unice intentus, continua cadaverum scrutatione nova vitæ præsidia investigare non destitit. Observator, si quis

unquam, acutus, nihil in humana machina inexploratum reliquit & latentia quæque, quæ aliorum induſtriam effugerant, mira ipſe ſagacitate detexit. Academiam patriam ſolida doctrina, familiam nominis ſplendore illuſtravit; amicis, quos tales cognoverat, conſiliis & opera nunquam non præſto fuit. Neminem conſulto & cogitate læſit; injuriarum impatiens, quas pro vivida ingenii indole acriter repulit, at nunquam repoſuit. Plures ille nactus eſt gloriæ famæque obtrectatores & æmulos, qui, cum publicam vitam juſtaque viri merita non poſſent convellere, hominem privatum aggreſſi ſunt, mores ejus ſimplices & incomptos mentisque ſeverioris indolem ſugillantes. Iniqui hi rerum æſtimatores non adverterunt, vel ideo excelſi ingenii dotes in tanta hominum luce poſuiſſe Lobſteinium, quod, ſpreto omni exteriori ornatu, rimandæ naturæ totum ſe tradidit. Unde & factum eſt, ut, quod vix ac ne vix quidem continget, theoriam cum praxi, in utraque Medicina, feliciſſimo connubio jungeret. Præterimus hic ſilentio malevolum iſtud hominum genus, qui, veræ ipſi virtutis expertes, gloriolam in eo quærunt, ut aliorum laudibus ambitioſe obſtrepant. Hi, indigno facinore, calumnias quasque, vel ab ingratis diſcipulis propinatas, avide arripere garrulisque typis divulgare non erubeſcunt. Hujusmodi injurias, in Lobſteinium quoque noſtrum congeſtas, eo minus moramur, quo luculentiora ſunt virtutum ejus meritorumque teſtimonia, nullo ſane ævo intermoritura.

Vale igitur iterumque vale, deſideratiſſime Collega. Fruere inter felices animas Dei intuitu, quem pervicaci ſtudio, dum vixiſti, per fragilis corporis velamina indagaſti. Quicquid nos ex te amavimus, quicquid mirati ſumus, id ſedet ſedebitque animis ac ſeræ poſteritati commendabitur. P. P. Argentorati XVIII Kal. Maji MDCCLXXXV.